



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Populi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Iege Ortelium in Thesauro ad vocem *Thracia*, vt Thyni, Strymonij, Bardi, Dolongi, quorum veteres meminere. Neque putabis in scriptores mediæ ætatis irrepsisse mendum dum *Trachiam* pro *Thraciâ* leges.

N V M. 2. *Populi.*

COMMEMORABO præcipuos duntaxat, & quorum in scriptoribus crebrior mentio.

BESSI, gens latrociniis dedita vulgo ληστοι cognominati; ab Herodoto, & Solino Nesso flumini affiguntur; à Strabone, & Lilio ad Ænum montem; inter utrumque spatium eos collocat Eutropius, qui eorum urbem vocat *Vscudamam*, quæ postea Hadrianopolis: τεραχωῖται, & τεράχωμοι, apud Stephanum dicuntur. De eorum Principe Rabocento vide Tul. in Pison. n 84.

DENSELETHÆ Thracum generosissimi, & Romanis addictissimi, quorum operâ C. Sentius prætor reliquorum Thracum vires, & arma elusit: sed lacestisti à Pisone Macedoniam Thessalonicam usque depopulati sunt; vide Tullium loco suprà laudato. Eorum regio postea Dantheletica nuncupata est.

MÆDI, apud Liuium, & Strabonem *Medi*, quorum urbs *Iamphorina*; vicini erant Macedonibus, & ad hos transgressi, ut ait Stephanus, μαδοβίζυοι nuncupati sunt.

ODRYSÆ populi Thraciæ celeberrimi, à quibus Thracia dicta est Odrysia. Quid potuerint illi populi, & de eorum regibus apud Thucyd. lib. 2. disces. Circa Hebrum collocat eos Solinus: apud scriptores mediæ ætatis Hadrianopolis in Odrysis collocatur, sic locutus est *Metaphrastes*. Non possunt eorum assignari limites, quia olim latissimè regnarunt: ineptè recentior quidam eos ad Multauos ablegat.

N V M. 3. *Quantitas.*

AMPLISSIMI fuerunt olim Thraciæ limites, si quidem gens Thracum maxima post Indos dicitur apud *Herodotum*. Plinius eos ad Istrum usque portigit, *Appianus* necit Illyriis, *Ammianus Marcellinus* in Thraciâ Scordiscos locat. Versus Meridiem, alij ad Atho montem, alij ad fines Peninsulæ Pallenes promouent. Quidam ad Olympum montem quem Thraciæ, & Macedoniæ limitem assignavit *Eratosthenes*: immo & ad Achiam usque atque Bœ-